



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini. M. D. XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Confutatio, luce alioqui non indigna.

*Acta & scripta Luthe-
ri, Anno Domini.*

M.D. XXXI.

Vm Cæsar aliique Principes ac Status Imperij, in generali Recessu constanti conclusissent, permanendum esse in antiqua fide ac religione patrum nihilque innovandum aut mutandum, ante Generalis Concilij determinationem: Lutherus, qui probe sciebat, quam fortiter essent Electori Saxonie confederati aliquot Principes ac Ciuitates sectæ suæ, cæpit ferocissime proteruire, ædens Teuthonice libellos duos. Quorum vnum inscriptum, Glosam in Prætensum Edictum Imperiale. alterum, Præmonitionem ad Germanos suos dilectos. In vtroque sane protestatur nequissime, se non suadere ad bellum aut seditionem, cum interim nihil faceret studiosius aut vehementius, diffamando atque criminando, non solum Papam & omnes Ecclesiasticos Prælatos: Verum etiam Cæsarem, omnesque Principes Catholicos, quos vocat proditores ac sceleratos nequam, mendacisque nebulones &c.

In Glosa vult omnibus persuasum esse, cõfictum fuisse sub nomine Cælaris recessum Augustensem, quem Edictum vocat. Cõtra quem

Cc iij

*Duo seditiosi
libelli Lut. cõ
tra Cæs.*

*Mendacium
Lut. de Recessu
suo seu Decreto
Imperiali
Augustæ factum.*

sic scripsit Cochleus Teuthonice. Quis es tu
 infamis intestabilisque ac damnate hæretice, vi
 ausis, publicum ac legitime constitutum, atque
 vnanimiter cõclusum recessum totius R. o. Im-
 perij, hoc est, Generale Decretum Imperiale,
 dicere prætersum vel putatum Edictum Cæ-
 sareum? Cum manifestum sit, & negari nõ pos-
 sit, quod illi Recessui & decreto, nõ solum pro-
 priis manibus subscripserunt Cæsar ipse, Ele-
 ctiores item aliqui, Principesque alij & Prælati,
 Comites ac Barones permulti, Qui personali-
 ter præsentibus fuerunt. Sed & alij nõ pauci Prin-
 cipes, Prælati, Comitesque & Barones: Ciuita-
 tes item tum liberæ tum Imperiales, per suos le-
 gitimos ac plenum habentes mandatum, Pro-
 curatores missosque; Oratores, itidem subscripse-
 runt absentes, tãquã præsentibus (Etenim in calce il-
 lius recessus, cõmemorantur subscripsisse, siue
 per seipso, siue per legitimos Procuratores aut
 Oratores suos, Quinq; Electores, Principes ali-
 j; Ecclesiastici quidem XXX. Sæculares vero
 XXXII. Abbates XXI. Comites & Barones
 XXXII. Ciuitates denique liberæ ac Imperia-
 les XXXIX.) Verum etiam plenum robur ad-
 diderunt, appensis sigillis, tum ipsius Cæsaris
 Maiestatis, tum quorundam Electorum aliorum-
 que; Principum ac Dominorum, loco omnium al-
 liorum. Desperato igitur Apostata in eiusmodi
 libris nihil prorsus fidendum aut credendum
 est, qui non erubescit, tot Principum ac Status
 Imperij, ipsiusque Cæsaris subscriptiones, sigilla
 etiam

*Numerus
 Principum
 ac Status
 Imperij.*

irem & literas reicere, calumniari, reprobare.
 Vbi mendacium eius, vsque adeo manifestum,
 potest per literas & sigilla in os eius retorqueri
 palpabiliter atque etiam palpabiliter: ita, vt facile
 suffocaretur, si omnia ea sigilla faucibus eius in-
 tenderentur. Hæc ille, contra inscriptionem ac
 protestationem Lutheri. At liber ipse nihilo
 melior aut verior est ipsa inscriptione, aut pro-
 testatione eius. Etenim circa principium vehe-
 menter conuertiatur, quod in Recessu scriptum
 est, Lutheranorum confessionem fuisse per sa-
 cras literas, iustasque rationes confutatam. Vo-
 cat autem ipsam confutationem (eò quod Lu-
 theranis in manus tradita non fuit, nec ædita)
 Noctuam ac Vespertilionem, quæ lucē fugiat,
 vt non ausint eam Catholici in lucem dare. De
 vtraque autem specie agens, præsupponit, iam
 omnibus persuasum est, Christum in Euange-
 lio præcepisse, vt Laicis detur vtraque species:
 Hoc vsus fundamento, miris cõuitiis ludibriis-
 que & criminationibus insectatur quædã verba
 Edicti, nempe, quod Ecclesia instinctu spiritus
 sancti, bonisq; rationibus, salubriter instituerit,
 vt extra Missam vna tantum species porrigatur.
 Hic meretricem vocat Ecclesiã Papæ, hic alias
 iactitat Ecclesias sub vtraq; specie Laicos cõmu-
 nicantes, hic Ecclesiam & peccare & errare af-
 firmat: hic queritur Christum à Papistis menda-
 cem fieri, hic Ecclesiæ violentiam iniuriamq; à
 Papistis illatam incusat: hic docet, Ecclesiæ neq;
 credendum neque obediendum esse, si præter
 Cc iiij

*Conuicta &
 criminationes
 Luth.*

& extra verbum Christi loquatur aut insitum
aliquid: Hic peccant in spiritum sanctum Papi-
stæ, & impœnitentes descendunt ad inferos. At
tandem post multa folia libri, sic minando con-
cludit. Confidenter (inquit) blasphemate Papi-
stici Asini, dum tempus habetis, Breui aliter fe-
ri: Interim Edictum huiusmodi nemo seruet, ni-
si filij Diaboli. De Missa scribens ibi, multis pri-
mum Ironiis irridet verbum Cardinalis Cam-
pegij, de latere Legati, qui ad Casarem misse
fertur, se malle in frustra discerpi, quàm permi-
tere, vt Missa aboleatur aut mutetur. Deinde ir-
ridet verba Edicti, quæ iubent vtrunq; seruetur
in Missa Canonem, aliasq; consuetas Ceremo-
nias. Ait ergo Ironice. Quoniam per insinuat
spiritus sancti & per Euangelia, confuata est
nostra confessio: oportet in Euangeliis repen-
ri vtrunq; Canonem, Casulas & calices, raluas
& Cappas: vendere Missas sex nummis, anima-
bus in Purgatorio, nautis in mari, mercatoribus
in terra, ægrotis in domo, & omnibus in qui-
buslibet causis. In summa, nundinas & negotia-
tiones ex Missa facere. Ita mi frater, quid vide-
tur tibi de his magistris? Multa dicuntur, quod
Aquilæ & Lyncæsq; acute videant: At collata ad
hos magistros, prorsus cæcæ sunt. Qui in Evan-
geliis videre possunt ambos Canones, vestes, ac
omnis generis nūdinationes Missæ. Hi possunt
profecto acuti vocari Doctores, qui alicubi al-
tius quàm inter Gallinas sederunt. Post multa
vero ad amarulentias calumniâsq; reuertitur

*Ironia Lut.
cōtra Missã*

Coniuria.

Sed quid multa aduersus procaces blasphematores & impcenitentes Papæ Asinos disputati: Est, vt dixit Episcopus Saltzburgenfis, Ah quid vultis reformare nos sacerdotes, qui nunquam boni fuimus. Estote igitur non boni, ac manete non boni in Dei vestri, Diaboli nomine. Quid ergo conamini reformare nos, quos confitemini bonos esse, iustamque habere causam? Non satis est, vos nebulones ac Dei prodiatores esse, quemadmodum inuerecunde iactatis vosmetipsos? &c.

De libero arbitrio, quom in Edicto dicitur error ille non humanus, sed pecuinus ac blasphemia Dei: Ibi post longam criminationem ignominiosam affert similitudinem de porcis, dicens. Perinde atq; si doctum & illustre pecus, Porci, in Imperiali Conuentu suo concluderetur. Nos porci præcipimus, ne quis teneat Muscatam esse preciosam speciem aromaticam: Quid vero sit, nos nescimus. Arbitramur autem, aliquod sint siliquæ: Nonnulli, quod sint fursura: aliqui, quod sint brassicæ folia: aliqui, quod sint preciosa opipera rusticorum sub sepibus. Sic & nostri docti ac Illustres Porci Augustæ tam sapienter agunt, & interea blasphemant veritatem Dei, velut rem pecuniam ac blasphemiam. De sola fide, cum in Edicto præciperetur, ne doceatur posthac, nuda fides solam, absque charitate ac bonis operibus, iustificare: Ibi magno cum contemptu ait Lutherus. Quid boni Porcini Do-

Ignominiosa comparatio Principis ad porcos.

Calumniosa irrisio Lut. in Papias.

ctores eiusmodi intelligant de hoc sublimi ac
 sacro articulo, cum ne humiles quidem articu-
 los ferre queant. Veluti, Quod vir possit habe-
 re uxorem, & mulier maritum: Quod homo
 possit edere ac bibere, quicquid ei Deus dederit
 ac procurauerit: Quod Christianus possit ut-
 ranque speciem Sacramenti sumere, & id ge-
 nus plura. Indignum foret, ut tam stolidum pec-
 cus fœdique porci hanc Muscatam olfacere de-
 berent, taceo edere ac vesci. Sine eos docerent
 q; credere, eum peccare mortaliter, qui in sup-
 plicio pedit, & cum esse damnatum, qui in altari
 Ventum emittit. Veruntamen quum videam
 (inquit) quod hunc præcipuum articulum Dia-
 bolus semper blasphematur per suos Porcos Do-
 ctōres, neque quiescere aut cessare potest: Di-
 co ego Doctor Martinus Lutherus, Domini
 nostri Iesu Christi indignus Evangelista, quod
 hunc articulum (Fides sola, absque omni ope-
 re, iustificat coram Deo) firmum atque incon-
 cussum permittere debet Romanus Imperator,
 Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Per-
 sarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Ep-
 iscopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Re-
 ges, Principes, Domini, totus mundus simul
 cum omnibus dæmoniis, & debent insuper
 habere ignem Infernalem super capita sua, &
 nullam gratiarum actionem. Hic esto meus
 Doctoris Lutheri instinctus à spiritu sancto, ve-
 rumque ac sanctum Evangelium. Hæc & id
 genus multa impudenter iactitat nunc minar-
 do

*Ferocia Luth.
 de sola fide.*

do & terrendo, nunc gloriando & insultando, sepissimeque calumniando Lutherus, De celi-
 bato sacerdotum, de Euangelio suo, de bonis
 Ecclesiasticorum, aliisque rebus. Tandem sub
 finem libri, gloriosum de seipso canit Enco-
 mium & Epinicum. Ego (inquit) Doctor Mar-
 tinus vocatus atque coactus in hoc fui, ut fieré
 Doctor, absque mea voluntate, ex mera obe-
 dientia. Ibi oportuit me Doctoris officium su-
 scipere, & Charissimæ meæ scripturæ sacræ iu-
 rare ac vouere, ut ipsam fideliter ac pure prædi-
 carem ac docerem. Inter docendum ergo ceci-
 dit mihi in viam Papatus, voluitque me prohi-
 bere: Id successit ei, sicut præ oculis est, & adhuc
 semper peius succedet. Ego in Dei nomine at-
 que vocatione, super leonem & serpentem am-
 bulabo, & super catulum leonis atque Draco-
 nis calcabo, idque in vita mea debet inceptum,
 & post mortem meam perfectum esse. Sanctus
 Ioannes Hus de me prophetizavit, quando ex
 carcere Constantiæ in Bohemiam literas mi-
 sit. Nunc assabunt quendam anserem (Hus e-
 nim anserem dicunt) At post Centum annos,
 audient cantare quendam Cygnum, quem pa-
 ti debent. Hæc ibi Lutherus. In altero au-
 tem libello, quem Præmonitionem in scripsit,
 adhuc multo vanior est mentiando, gloriosior
 iactando, terribilior minando, maligniorque
 calumniando. Certe Cochlæus mox è primis
 duobus Duernionibus illius libri, excerpfit
 & confutauit X V. minas & mendacia. Quo-

*Encomium
Luth. de se
ipso.*

*Verba Lu-
theri.*

*Falsa de sedi-
tione excusa-
tio.*

*Responsum
Cochlaei.*

rum vltima duo sic habent. De cætero (inquit)
non vnum aut alterum Papistam, sed totum Pa-
patum super me oneratum volo, quousque iu-
dex in cælo signum faciat. Neque volo, neque
possum mihi timere à talibus Dei hostibus. Eo-
rum proteruita, est me a animo fitas: eorum ira
meus risus. Item, Nolo hominum conscientias
dimittere oneratas hoc periculo ac metu, tan-
quam seditiosa sit eorum repugnatio. In tali
nim casu nomen istud nimis est & malū & gra-
ue. Oportet aliud habere nomen, quod iura ho-
ne inuenient. Non oportet omne id seditiosum
esse, quod cruenti canes seditiosum criminantur.
Ad hæc ita respondit Cochlaeus Teutoni-
ce Magnifica quidem verba. Luthero non de-
sunt, sed re ipsa nihil habent in se præter pecca-
tum, nequitiam, miseriam, cladem, damnatum
temporale, tum sempiternum miseræ ple-
bis, quam ille per iniquam rapinam suos aut
suum populum vocat. Quid enim infortunatum
hoc Diaboli caput effecit hætenus, nisi ca-
lamitatem vnã post aliam? Profecto Iudex in
cælo sat signorum iam pridem fecit, si credere
velimus. Multi ex nobilitate per has Lutheri
machinationes iuerunt in ruinam. Multi præ-
terea eruditi, multo adhuc plures agricolæ, ne-
que item pauci ex ciuibus, vel cæli in præliis,
vel moti in iudiciis publicis adiudicati sunt.
Et vehementer timendum est, ne in altero sa-
culo adhuc multo peius accepti sint. Maior
nanque pars eorum, velut hæretici, perfidii, re-
belles,

belles, atque Apostatici Christiani hinc de-
 cederunt. Quos illic Iudex Christus, pro suis
 agnoscere non potest: Quoniam ab illo &
 ad eius Ecclesia Catholica ad Apostatam quen-
 dam Monachum defecerunt, qui velut alter
 Nemroth violentus ac potens venator, dicere
 audeat. Ego & mei: Suos vocans, quos nullo iu-
 re acquisiuit. At sceleratus Iudas iste, suos
 proditorie tradit, non solum Diabolo (sicut a-
 gricolae tradidit) per defectionem, per schisma
 per antiquas hæreses: Verum etiam Cæsari ac
 Papæ, quibus per verba propria suos in manus
 ad supplicia vltro tradit, velut nequissimus ac
 scelestissimus proditor. Quid ita? Quia ait sic.
 Seditio non est, quando quis contra ius agit:
 Alioqui omnis transgressio iuris diceretur se-
 ditio. Verum is dicitur seditiosus, qui Magistrat-
 um & ius ferre non vult, sed innadit atque im-
 pugnat ea, & vult ea opprimere, ac per se ipsum
 dominari, iusque constituere &c. Hinc ergo se-
 quitur, quod Lutheranorum repugnatio plane
 seditiosa sit, Cur ita? Quia Magistratum & ius
 ferre non volunt. Quod si quis eorum id mihi
 neget aut inficias eat: huic publice his scriptis
 nunc oblatum à me volo & ius & Magistratum,
 sub periculo corporis & vitæ, ad experendum
 eum eo super doctrinis & actis Lutheri: ad stā-
 dum secum iuri coram Magistratu, vsque ad de-
 terminationem causæ: ad sistendum pedem pe-
 di, atque etiam ad iacendum in carcere aut capti-
 vitate, vsque ad definitiuam sententiam Iudi-

Luth. proditor suorum.

Præuocatio
 Cochlei contra
 Lutheranos
 quoslibet.

Lutherus & sui, Ius & Iudicē ferre non possunt neque volunt: quia manifeste & notorie heretici sunt & se ditiōsi, contra omnia iura, diuina & humana.

cis. Quis eorum hic animosus est? Hic sane vi-
 debo, an Lutherus serio dixerit tam turgida ac
 ferocia verba. Non est noua hæc mea animositas
 & prouocatio: Dixi eam Luthero ipsi Vuor-
 maciæ in faciem, & in publicis scriptis eandem
 persæpe repetiui, & in ea adhuc semper firmi-
 terque perisisto, quo diutius, eo constantius.
 Neq; fugio lucem: Non subrepto in angulum,
 quando res serio agitur. Quemadmodum Lu-
 therus fecit, & pridem post Comitia Vuorma-
 cienza proditorie, & nuper sub Augusta Comit-
 itia metriculose. Palam ac manifeste compe-
 rui in Comitibus Imperialibus Vuormacia, Nu-
 renberga, Spira atque Augusta, quando hisce
 de rebus agebatur. Et frustra expectaui, an nul-
 lus Lutheranorum ibi propter eiusmodi ver-
 ba vellet me conuenire, aut iudicio mecum ex-
 periri. At in hanc vsque diem nullus eorum ve-
 nit, vt periculum de me faceret. Hoc tamen
 nequaquam mihi laudi esse volo, quasi ego tan-
 tæ sim eruditionis. Agnosco enim me pro om-
 nium minimo, quantum ad eruditionem inge-
 niūque attinet: Sed cupio hunc honorem ist-
 ius, tum Christo Domino, cuius promissis, Ec-
 clesie ab eo factis, vsque adeo nitor & confi-
 do: Tum sponsæ eius, sanctæ matri Ecclesie,
 quam Diuus Paulus. 1. Timoth. 3. vocat colum-
 nam ac firmamentum veritatis. Hæc ibi Co-
 chlæus. Cæterum nimis longum foret, cun-
 cta Lutheri mendacia tumidaque vanæ gloriæ
 iactantias, ex vno illo eius libro recensere, dum glo-

riat de pacificis fidelibusque suis ad Ecclesia-
sticos aditis admonitionibus, ac de tranquilla
doctrina, deque validis suis ac suorum ad
Deum precibus pro Papistis: & de suis prote-
ctionibus, quibus solis à seditiosorum vi con-
servati sint Papistæ. Et quod omnium impu-
dentissimum, vanissimumque ac nequissimum
est, sæpe iactitat, Papistas probe scire ac ultro
confiteri, Lutheri doctrinam verum ac merum
esse Evangelium: Neque tamen desistere à perse-
quendo illud cōtra proprias ipsorum conscien-
tias. Cunque eo in libro toto nihil potius que-
rat, quàm ut Cæsari aliisque Principibus Catho-
licis rebelles atque inensos reddat eorum sub-
ditos: attamen perfrieta fronte protestatur, se
non suadere, ut subditi mandatis aut violentiis
eorum resistent. Atque inter atrocissimas iniu-
rias, criminationesque & calūnias, quas in Cæ-
sarem aliosque pios Principes ei aculat, cre-
berime, Cæsarem interdum laudando, parti
sue gratiam querit. Hæc sane sunt verba
eius. Hoc est fidele consilium meum. Si Cæsar
vocaverit subditos ad arma, & parti nostræ, pro-
pter causam Papæ, aut propter doctrinam no-
stram, bellum inferre voluerit: Quemadmodū
Papistæ nunc horrendè gloriantur ac ferociunt
(ego autem id de Cæsare nondum credo) Ut
in eo casu nullus hominum in hoc vel ysum
sui præbeat vel Cæsari obediat, sed certus sit
nuisquisque, sibi à Deo id vehementer prohi-
bitum esse, ne Cæsari tali in casu obediat. Qui-

*Verba Eusebii.
ne subditi obe-
diant Cæsari
contra Luitbe-
ranos.*

cunq; vero ei obedierit, is sciat, se Deo inobedi-
 entem esse, corpusque & animam aeternaliter
 eo bello perdere. Caesar enim tunc agit, non so-
 lam contra Deum & ius diuinum, verum etiam
 contra proprium ius suum Imperiale, contra
 infurandum, obligationemque suam, & contra
 sigilla literasque suas. Aduersus eiusmodi ca-
 lumnias scripsit Cochlaeus Teuthonice libel-
 lum, ad Doctorem Gregorium Bruck, qui pra-
 cipuum fuerat os Lutheranorum Augustae. Inter
 multa alia sic dicens. Nosti Augustae mu-
 tum ac serio tractatum fuisse de causa fidei, et
 huius insimulationis contra Caesarem, nunquam
 factam a parte vestra mentionem, sed vtriusque
 partem addoxisse Euangelium sacrasque literas.
 At vero in intellectu tantum & interpretatione
 suspensarum fuisse discordia. Quamuis vero
 cunctis actionibus interfueris, atque loquen-
 do & scribendo multum ex parte vestra feceris,
 nunquam tamen intellexi, quod vos Caesarem
 Maiestatem tam impia ac Tyrannica intentionis
 argueritis, tanquam Euangelium bello perse-
 qui velit. Si enim Caesar talis esset Tyrannus atque
 Apostata, qui bello Euangelium (quod est veritas
 Dei in salutem omni credenti, Ro. 1.) in seclum
 vel interderet vel conaretur: esset profecto Imperi-
 ali corona, officioque ac dignitate prorsus indi-
 gnus, ac perderet per hoc omnem auctoritatem ac
 Iurisdictionem in Imperio: omnem subiectio-
 nem Homagiumque Principum aliorumque Do-
 minorum, qui feuda atque Regalia ab eo susce-
 piunt,

*Verba Cochlei
 contra calumnias
 Lutheri in
 Caesarem scri-
 ptas.*

*Verba Cochlei
 contra calumnias
 Lutheri in
 Caesarem scri-
 ptas.*

pluribus, nobisque vilior peiorque esse deberet quomodo Paganis, Iudæisque & Turcis. Quemadmodum diuina scriptura iusque vtrunque, Ecclesia scilicet & Ciuile, præscribunt ac definiunt. Iam inter omnes retro Cæsares, à magno & primo Constantino illo vsque ad hunc Carolum Quintum, nullus omnino tanta impietatis insimulatus fuit: quantumuis multa ac magna scelera, persecutionesque & Tyrannides, plerique eorum alioqui exercuerunt, Excepto vno Apostata, Cæsare Iuliano, qui à Christo ad Idola defecit, Euangeliumque persecutus est: Non tamen bello sanguinisque effusione (quemadmodum Lutherus nostro pio, Catholico, ac religioso Imperatori non veretur imputare) sed edictis tantum & interdictis, ne prædica retur Euangelium publice. De quo Eutropius, qui cum eo aduersus Parthos ac Persas militauit, sic scribit. Nihilominus religionis Christianæ insectator perinde tamen, ut cruore abstineret. Hæc & id genus ibi multa Cochlæus. Lutherus autem in sua Præmone Tres præcipue causas recenset propter quas Cæsari ad bellum contra Lutheranos gerendum, nemo subditorum obedire debeat, easque magnis ampliationibus odiosisque & concitatis criminationibus extendit. Prima (inquit) causa, quod Cæsari obedire ac militare non debeas in tali casu, hæc est. Quoniam tu (quemadmodum & Cæsar ipse) in Baptismo iurasti, Euangelium Christi seruare, non persequi nec impugnare. Iam vero nosti probe, Cæsarem in hoc casu per Pa-

Dd

*Iulianus
Imp.**Tres cause
Luth. contra
Cæsarem*

pam incitari ac decipi, ad belligerandum con-
tra Euangelium Christi; Quandoquidem do-
ctrina nostra palam inuenta est Augustæ, quod
sit verum Euangelium ac sacra scriptura. Ite-
co ad Cæsarem aut Principem tuum, te ad ho-
lum tale vocantem, sic dicit. Bone Cæsar, bo-
ne Princeps, quando seruas iuramentum proci-
sumque tuum, quod in Baptismo iurasti, cha-
res mihi Dominus, eroque tibi obediens ab-
landum quodcumque volueris: Sin minus,
lium tibi quære, qui obediat. Ego propter
lo Deum meum blasphemare, verbumque
insectari, ac tecum tam animose in abyssum
ferni currere ac desilire. Hæc (inquit) causa
ma, multas alias easque magnas ac horribiles
causas in se compræhendit. Quisquis enim con-
tra Euangelium pugnat, hunc pariter pug-
oportet contra Deum, contra Iesum Christum,
contra spiritum sanctum, contra preciosum san-
guinem Christi, contra eius mortem, contra
verbum Dei, contra omnes articulos fidei, con-
tra omnia Sacramenta &c. Turca sane tam in-
nus non est, ut contra suum Mahometum, aut
contra suum Alcoranum pugnet aut insanat,
sicut faciunt Diaboli nostri, Papistæ, qui contra
proprium suum Euangelium, quod pro vero ag-
noscunt, furunt atque insaniunt: Atque per hoc
faciunt Turcam purum sanctum, se vero meriti
ac veros Diabolos. Secunda causa est (inquit)
Etiam si doctrina nostra non esset vera (Causa

Gravis calis-
ma.

men ipsi omnes aliter sciant) hoc saltem te ab
 deterrere maxime deberet, Quod tali bello oner-
 nes te, atque participem te faceres coram
 Deo omnium abominationum, quæ in toto Pa-
 pato, & contigent prius, & deinceps contin-
 gent. Hæc causa compræhendit in se innume-
 ras abominationes & omnem malitiam, omne
 peccatum & scandalum, breuiter, est ipsamet
 abyssus Infernalis cum omnibus peccatis: Quo-
 rum omnium te participem esse oportet, si Cæsari
 obedieris in hoc casu, Hic horrèdis criminatio-
 nibus enumerat Lutherus peccata, scandala &
 scelera omnium statuum Ecclesiasticorum, maxi-
 me Papæ atque Cardinalium, quibus nefandis-
 sima quæque imputat, tanquam pro eorum sce-
 leribus manutenendis pugandum foret Cæsa-
 ris mandato. Et vltra crimina vitæ, commemo-
 rat abusus circa Indulgentias, circa Purgatori-
 um, circa Missas, circa Venerationes sanctorū,
 circa Confessiones auriculares, circa Excōmu-
 nicationes &c. Sūma (inquit) est, Omne quod
 docent ac faciunt, eo tendit, vt nos a Christo ad
 suā ac nostra operaducant. Et nulla est literula
 tam parua in eorum doctrina, nec vllum opus
 adeo modicum, vt non abneget ac blasphemet
 Christum, violetque fidem in ipsum, ducatque
 misericordiam ad impossibilia, tum ad despe-
 rationem: Quemadmodum & verus Antichri-
 stus facere debet. Tertia causa est (inquit) quod
 si in tali bello Cæsari obedieris, nō solū omnia eo-

*Graves crimi-
 nationes con-
 tra Papistas.*

*omni-
 bus & con-
 tinu-
 a.*

Dd ij

*Falsa iactan-
tia Luth. de
suo Evangelio*

rum mala in te suscipere ac defendere: Verum
etiam optima quæque quæ per Evangelium re-
cuperata sunt atque instituta, abolere ac exten-
minare te oportebit. Hæc quoque causa in se
multa comprehendit: Evangelium enim nos-
trum multa ac magna bona effecit. Nemo an-
tea sciuit, quid sit Evangelium, quid Christus,
quid Baptismus, quid Confessio, quid Sacramen-
tum &c. Summa, Nihil prorsus sciuimus, quod
Christianus scire debet. Omnia sunt per Papæ
Asinos obscurata & oppressa: Sunt utique Asi-
ni, & quidem magni, rudes & indocti Asini, in
negociis Christianis. Nam & ego vnus eorum
fui, & scio, me hic veritatem dicere. Et infra,
Hic oportebit te cooperari, vt omnes Teutho-
nici libri, Nouum Testamentum, Psalterium
Orationalia, Cantualia, & quæcunque nos scri-
psimus de multis rebus bonis (quod ipsius in-
tentur) comburantur. Oportebit te cooperari,
vt nemo sciat X. præcepta, Pater noster, & Cre-
do: Ita enim prius fuit. Oportebit te cooperari
vt nemo de Baptismo, de Sacramento, de fide,
de potestatibus, de statu matrimonii, nec de E-
uangelio quicquam discat. Hæc & id genus plu-
rima ibi, ad concitandos plebis seductæ affectus,
artificiosa calliditate grādissimoque ampliatio-
nibus commemorat Teuthonicus Rhetor iste.
Sed & in ipsum Conuentum Imperialem dire-
alicubi exclamat, dicens. O infelices omnes,
qui ex parte Papæ Augustæ fuistis. Pudori erit
tis cunctis successoribus ac posteris vestris, qui
non

*Exclamatio-
nes Luth. con-
tra Principes
Germania.*

non poterunt iucunde audire nomina vestra,
 quod habuerint tam infœlices maiores, O tur-
 pem Diem Imperialem, qualis nunquàm vel
 celebrata vel audita fuit, nec vnquàm celebrabi-
 tur audieturve, propter tam turpem actionem:
 Quam oportet cunctis principibus, totique Im-
 perio sempiternam esse maculam, quæ nos Ger-
 manos omnes & coram Deo, & coram toto
 mundo rubore confundit. Quid ad hæc dicit
 Turca totumque Imperium eius, quando tam
 inauditam tractationem de hoc nostro Imperio
 audierit? Quid dicent Tartari ac Moscovitæ?
 Quis de cæteris sub toto cœlo timebit sibi à no-
 bis Germanis, aut aliquam de nobis existimatio-
 nem habebit, quando audierint, quod sinimus,
 maledictum Papam cum laruis suis sic facere
 ex nobis fatuos, stultos, pueros, immo truncos
 ac stipites: vt propter eorum sceleratam, Sodom-
 iticam, turpemque & doctrinam & vitam, tâ-
 turpiter, immo plus quàm turpiter, in publicis
 Comitibus Imperii, contra iustitiam & veritatem
 agamus? Merito pœniteret vnusquisque Ger-
 manum, se & Germanum natum esse, & Germa-
 num dici. Miras præterea minas interdum
 profert. Satis diu vixi (inquit) mortem bene-
 meritoi, ac Dominum meum Christum de Papa
 tu egregie vindicare cœpi. Ipsi post mortem
 meam, Lutherum primo recte sentient: Quam-
 uis & nunc, si in Papali ac sacerdotali seditione
 interfectus fuero, mecum recipiam agmè quod-
 dam Episcoporum, Presbyterorù ac Monacho

Dd iij

*Mina Lut.
 contra Episco-
 pos & Cleri-
 cos.*

rum, vt omnes dicturi sint, Doctorem Martinum magna cum processione ad sepulturam deductum esse. Est enim magnus Doctor supra omnes, Episcopos, Presbyterosque & Monachos: Idcirco & ipsos oportebit cum eo ad sepulturam ire super dorsa, vt de hoc & canticis & cōfabulationes fiant. Atque ita peragemus vltima vice peregrinationem quandam simul. Ipsi quidem Papistæ in abyssum Inferni decurrunt ad suum Deum mendacit, ac homicidit, cōmittendo ac interficiendo seruiunt: Ego vero ad Dominum meum Iesum Christum, cui in veritate ac pace seruiui. Aduersus hunc librum Lutheri, vsque adeo malignum contumeliosaque prodiit è Dresda libellus quidam paruulus à Laico quodam Theuthonice scriptus, Cuius ita habet initium. Lutherus iam rursus libellum quendam ædidi quem vocat Præmonitionem ad dilectos suos Germanos. Verum iustus vocaretur Seductio, atque incitatio ad rebellionem atque seditionem: Quandoquidem re ipsa nihil aliud in eo quærit, quàm vt nos Germanos faciat & à Cæsare deficere, & omnibus potestatibus rebellare. Quam insidiosis dolis, mendacijs, clamoribus atque præstigijs id faciat, quoties Diaboli nomine ad hoc vtatur, viderint ac responderint illi, qui semper dicunt, eum esse virum sanctum, & cum eo esse spiritum Dei. Primum igitur scribit, Eorum, qui Lutherani non sunt, intentionem stare super vim, eosque causam suam constituere super dextras. Idcirco

Libellus cuiusdam Laici contra Luth.

eumite

venire inde oporteat vel seditionem vel bellū
 Virum horum contingat, Lutheranos fore inno-
 centes, qui neque consilium, neque causam ad
 hoc dederint. Quam verum autem sit istud
 probe testari sciūt ii, qui quotidie vident atque
 audiunt, quæ conspirationes, qui apparatus bel-
 li, quæ militum conductiones, quæ equitum con-
 gregationes, quæ cōfœderationes, apud Luth-
 eranos, toto isto tempore attentatæ atque institu-
 tæ fuerint. Et qui contra sciunt, nihil horum ap-
 pud Cæsarem Cæsarianosque fieri: Immo ip-
 sam Cæsarem, velut benignissimum ac mansue-
 rissimum dominum, multo magis curare sem-
 perque curasse, vt causam hanc componat atque
 ad pacem redigat. Hæc & id genus multa Lai-
 cus ille. Contra quem conuictiosissime scripsit
 Lutherus libellum, cui titulus est. Contra Sica-
 rium Dresdæ. In quo post sui excusationem sic
 ait. Hic vide, bone lector, an Lutherus sit men-
 titus in duobus suis libellis, vbi criminatus est
 Papistas, Proditores, homicidas, Nebulones, &
 prohi dolor non satis criminatus est. Iste Archi-
 nebulo vult nos docere virtutes Papistarum:
 Nèpe, vt subditi nequaquã sint inobediētes suis
 superiorib⁹, vbi velint cōtra Deū & iustitiã effū-
 dere sanguinẽ innocentem. Et infra. Quoniam
 vero Papistæ, per hunc Sicariũ indicāt sese arbi-
 trari, quod Lutherani sint in apparatu belli mi-
 litũq; cōductione. Id ego ex corde libenter au-
 dio, placetque mihi Papistas in tali opinione ac
 solitudine existere, ac credere, rase Luth. propo-
 Dd iiij

*Contra Lut.
 in Laicũ illũ.*

*Cantilena
Luth. contra
Papist.*

strum esse verum. Quod si possem, vellem libenter eiusmodi opinionem sollicitudinemque eorum confortare, donec præ timore morerentur. Ac velim huiusmodi cantilenam de ipsis cantare. Domicelle Cain scis interimere fratrem tuum Abel: habe ergo & præmium tuum, ut tremas ac paueas, ne te interimat quisquis tibi sic obuiam, ac nunquam sis securus, terreatque te etiam folii sonitus. Sciunt Domini Hânas & Capitas persequi Christum: habeant & ipsi præmium suum, ut timeant sibi à plebe, & dicant, Obiis he, ne fiat seditio in populo. Sic & homicidæ nostri, qui tantum in nocentis sanguinis fuderunt hanc debent habere plagam, ut vereri ac tremere debeant, ne fiat Seditio. Atque etiam si Lutherani nullum facerent belli apparatus, ipsi tamen metuere debeant, Germaniam esse plenam armatis Lutheranis: nec aliter cogitare, quam hoc anno nullam arborem producturam esse folia, sed pro foliis Lutheranos Cataphractos & Sclopetarios. Hoc habere debent, sic orauit ego & adhuc oro, sicut scriptum est. Fugit impius nemine persequente. et infra. Quoniam igitur luce clarius est, Papistas ipsos fateri & verbis & factis, sese nobis esse inimicos & contrarios. Hoc Doctoris Martini verax esto iudicium, tum in scripturis fundatum, tum ex fructibus eorum demonstratum, Certissime proposuisse in animo suo Papistas, die noctuque excogitare insidiari ac praticare, quomodo nos perdat atque exterminet. Hoc de ipsis vnusquisque

Lutheri iudicium de cogitationibus Papistarum.

nem, & nihil melius, de ipsis sperare potest,
 nec vllum est dubium. Quicquid ipsi prætera
 vel amice vel pacifice prætendunt, id totum
 esse oportet proditorium atque osculam Iudæ:
 Aut oportet eos ex timore aut metu facere, quod
 nondum possunt id, quod libenter facerent.
 Hoc iudicium volo nostris vniuersoque mûndo
 constituisse, ut secundum hoc sciat sibi pro
 spicere quicquid voluerit: Scio, me non mentiri
 nisi falsa sit scriptura. Idcirco Sicarius iste
 duplex est Nebulo, qui hoc totum in corde suo
 probe nouit, & nihilominus cruentos canes suos
 nobis proponit, tanquam bonos ac pacificos,
 apud quos plures sint fructus fidei, quam apud
 nos. Et iterum. Nihil (inquit) curo, quod que-
 ritur, nominari in meo libro fere mera maledi-
 cta atque Diabulos: Hoc debet esse mea gloria
 meusque honor. Sic & habere volo, ut deinceps
 dicatur de me, quod plenus sim maledicentiæ
 criminationisque & execrationis in Papistas,
 Volo & de cætero me aduersus nebulones istos
 exercitare execrationibus ac maledictis, vsque
 ad sepulturam meam, nec vllum verbum bonum
 amplius ex me audient: Ego meis tonitruis ac
 fulminationibus sic eis ad sepulturam compulsa-
 bo. Dum hæc in Saxonia fierent, ac grande
 ad Lutheranæ sectæ defensionem conflaretur
 cõiurationis fœdus quorundam Principum,
 Comitumque & ciuitatum: Cæsar vero in Ger-
 mania Inferiore (vbi multas habet prouincias
 hæreditarias) occupatus esset, Apud Helæctios

*Gloriatio Lu-
 theri de male-
 dicitia sua.*

*Bellum à
 Quingue Cæ-
 tonibus Hel-
 uetio; um Ti-
 gurinis indi-
 ctum.*

*Pro eisdem ac
sipe, Tiguri-
nos, Turicen-
ses & Turri-
genses ex oppi-
do surg.
Causa belli.*

multis iniuritis tribulationibusque vexabantur
Catholici, maxime à Bernensibus & Tiguri-
qui ceteris erant potentiores, opibusque & au-
tis magis instructi. Vnde factum est, ut quin-
que Cantones Catholici, nempe, Lucernenses,
Vrienses, Suitenses, Subsyluani atque Zugse-
ses, communi decreto bellum Tigurinis intuler-
int: Causas belli recensentes ad longam in li-
ris denunciatoris. Quoniam lōgo (inquit)
tempore nos omnes ac singuli, satis superque
obtulimus nos ad standum iuri & æquitati. Non
autem contra iurata fœdera, contra pacē publi-
cam, contra Christianam disciplinam & cōcor-
diam, contra confœderatorum fidem charita-
temque & amicitiam, atque etiam contra omne
ius naturale, & contra omnem æquitatem, sub-
ditos nostros nobis subtrahitis ac rebelles faci-
tis, ut facti iam sint erga nos perfidi atque peri-
ri: nostram recusantes Iurisdictionem, in Cap-
taneatu S. Galli, & in præfectura vallis Rheni-
na, aliisque in locis nō paucis: Quos defendimus
& nos ipsos multis dolis verfutiisque inter nos
discordes reddere paratis, ut eo periculo nos
antiqua & indubitata fide nostra Catholica de-
pellatis. Et dicitis, nos nolle audire verbū Dei,
neque sinere Nouum ac Vetus Testamentum
legi, atque propterea criminati nos estis, tanquam
impios ac malignos proditores, ac proditorios
nebulones. Cum igitur nouæ ac fictæ fidei vest-
ræ nō adhareamus, denegatis nobis Victualia
publicūque mercatū, ut cōpellatis nos hac ratio-

ad famem, ad perdendum non solum nos
 verum etiam infantulos innocentes, qui adhuc
 in materno gestantur utero. Nobis autem
 omnius denegetur, neque quisquā ad iustitiam
 consequendam nobis opem ullam ferat, nosque
 longo tempore eiusmodi angustiam, vim, super-
 biamque & iniquitatem tulerimus, nec vllus sit
 iniuriarum finis: Cogimur itaque hæc omnia
 Deo, suæque Genitrici, præclaræ ac vniuersæ
 Curie celesti, cunctisque probis, hominibus,
 quibusius & æquitas placent, conqueri. Et volu-
 mus, si Deus nobis gratiam virtutemque ac for-
 titudinem concesserit, ista potenter manu ac fa-
 cto devobis vindicare: Id quod vobis omnibus
 que adiutoribus & adheforibus vestris clare his
 ce literis denunciamus, nostrumque honorem
 per hoc erga vos pro nobis ac nostris adiutori-
 bus assertum esse volumus. In fidem & testimo-
 nium harum literarum, appendimus sigillum
 fidelium nostrorum confæderatorum Zugen-
 sium, omnium nostrum nomine. Datum feria
 Quarta, Die Quarta Octobris, Anno a natiui-
 tate Christi 1531.

Mox igitur hac denunciatione facta, ad pu-
 gnandum sese ex vtraque parte parauerunt.
 Die itaque XI. Octobris, Tigurini, præmisso eo-
 rum Capiteo cum cohorte vna, ac sex Bom-
 bardis rotatis, ipsi cū optimo quoque milite ac
 xx. Bobardis gradibus subsequuti, trāscesso Albi
 mōte, prope Monasteriū q̄ Capella dicitur, tres
 Cātones Catholicorum, nēpe, Suitēses, Zugen-
 ses, &

*Primum præ-
 lium & cedes
 Tigurinorum*

ses, & Subsylvanos, aggressi sunt. Catholici autem
 tem positis insidiis, statim post congressum re-
 trocesserunt fugam simulant. Mox vero valido
 cum agmine prorumpentes. Tigurinos in fu-
 gam verterunt. Cæsi sunt igitur omnes, quot
 quot magnum præcesserant vexillum, & eroga-
 sunt eis omnes Bombardæ atquemunitiones.
 Numerus cæzorum fuit M. D. Repertus fuit
 in ea strage Zuinglius, omnis perfidæ discipulus
 que inter Helueticos autor, à duobus Catholicis,
 pronus in facie adhuc spirans, quem illi non co-
 gnoscetes interrogarunt, an vellet confiteri. Ille
 iile tacuit velut mortuus. Superueniens autem
 alius, qui eum cognouit, lethale infixit vulnus.
 Capitaneisque pronus indicavit. Qui iussit
 eum sibi publico iudicio, in quo sane iudicatus
 est ut proditor, atque combastus ut hæreticus.
 Ferunt autem, quosdam Tigurinos asportasse in
 de cineres, domumque retulisse. Cæsi autem sunt
 & alii Apostatae insignes, nempe Abbas & Pri-
 or Capellæ, Commendator Risnacensis, Antonius
 Vualdoer, Cantor & Canonicus Turicensis,
 Henricus Vringer, Custos & Canonicus ibidem.
 Et ex civibus fortissimi quique. Capti præ-
 rea Duo insignes viri, Præfectus quidam & Lib-
 scriba Turicensis. Alterum deinde prælium co-
 missum est Die XV II. Octobris, iterum Catho-
 licis secundum, hæreticisque adversum. Nam
 Tigurini seu Turicenses, post acceptam cladem
 vocauerunt in auxilium Bernenses, collegerunt
 exercitu circiter XXX. Millia peditum, præce-
 serunt.

*Zuinglii
 exitus.*

*Secundum
 prælium.*

sunt in campum, partitoque exercitu in duo
 agmina, Turicenses versus Zugam: Bernenses
 versus Lucernam profecti sunt. Quinque autem
 Cantones Catholici, coniunctis viribus ad XV
 III. Millia peditum habuerunt, congressique
 cum Bernensibus circa fluuium quendam, com-
 pulerunt eos in fugam. In fluuiio autem perierunt
 D. & cæsi sunt in prælio DCC. Altero die prore-
 perunt ex vepribus aliqui Turgauenses, quos
 Catholici clementer ac benigne tractarunt, qui
 canque venerabile Sacramentum percipiebant.
 Rursus præliatum est Die XXIII. Octobris.
 Tigurini enim ac Bernenses vindictæ cupidi,
 accerserunt in auxilium Basilienses quoque &
 Schaffhusenses, volebantque noctu in hostes
 imparatos irruere. Catholici non omnes erant
 simul: Lucernenses enim propter Bernenses se-
 orum habebant exercitum. Alii autem Quatu-
 or Cantones, intellecto hæreticorum proposito
 albas camistas super arma sua induerunt, vt no-
 cta inter sese cognitionis signum haberent. Ini-
 to igitur prælio, primum certamen adeo asperum
 atque cruentum fuit, vt Catholici circa princi-
 pia ad Quintum vsque membrum seu ordinem
 caderentur. Deo autem adiutore, vicerunt tan-
 dem, atque hæreticos in fugam compulerunt,
 cæsis sex Millibus eorum, Neque tamen quieuit
 ira hostium. Vltimo enim die Octobris, in Vi-
 gilia omnium sanctorum, rursus congressi sunt
 Turicenses cõtra Quinque Cantones catholicos,
 sed nihil felicius quam prius. Nam Catholici
 secunda

Tertium
 prælium.

Quartum
 prælium.

secunda hora noctis sex millibus inuaserrunt illo-
rum castra, caesisque Quinque millibus hosti-
um, reliquos qui non aufugerant, ceperunt: fue-
rant autem in iisce castris VIII. Millia. Cepe-
rum apud Helucios admodum religiosum ac
venerabile, miraculisque clarum est templum
Deiparæ virgini Mariæ sacrum, quod Here-
mus dicitur. Ad quod sane publicaui processio-
nem instituerunt Quinque Cantones Catholi-
ci, à senibus, puerisque & mulieribus, virgi-
busque ac omni turba imbelli peragendam. Ad
quod Turicenses, Zuinglii perueria doctrina
imbuti, ægerime ferebant. Decreuerunt ita-
que facta expeditione templum illud deuastare
atque Imaginem Diuæ virginis Mariæ minuta-
tim discindere atque cõburere. Quod ubi perce-
perunt Quinque Cãtones, festinanter illic pro-
fecti sunt, atque indutis rursus super arma ali-
bis indutiis, in montis planitie duriter excepe-
rant hæreticos, interfectis plus minus Quinque
Millibus, raptisque vexillis Quatuor. Quorum
vnum Turicensium, Alterum Basiliensium,
Tertium Schafhusensium, Quartum Mulhusen-
sium fuisse dicitur. Erant quidem hæretici opi-
bus auxiliisque, & numero militum atque ar-
morum & Bombardarum apparatu longe va-
lentiores quàm Catholici, At Catholici fide,
pietate, religione, bonaque conscientia atque
recta in Deum & sanctos eius fiducia egregie
armati, fœliciter vicerunt semper. Toto enim
expeditionis tẽpore, obseruarunt religiose
finam

*Templum
Heremiti-
cum.*

*Quintum
prelium.*

*Religiosa
gēs Quin-
que Can-
tonum.*

nam suam deuotionem, secumque habuerunt
 hos sacerdotes, vt interessent eorum sacrifici-
 is in quotidianis Missis, serio ac religiose fle-
 nis in genibus ad Deum orantes, tum ante præliū,
 tum peracto prælio. Constituerunt præterea X
 VIII. viduas in territorio Suitensium, quæ alter
 natis vicibus senæ iugiter in templo Beatæ Vir-
 ginis Heremitico, pro exercitu Deo supplica-
 bant die noctuque. Merito igitur vicerunt eos,
 qui superis contempsis, confidebant in homini-
 bus, ac ponebant carnem brachium suum. Vn-
 de nō iniuria comparari possunt Quinque Can-
 tones illi Inelytis Machabæis, qui dicebant. Fa-
 cile est concludi multos in manu paucorum. Et
 non est differentia in conspectu Dei, liberare in
 multis & in paucis: Quoniam non in multitudine
 exercitus victoria belli. sed de cælo fortitu-
 do est. Hæretici igitur toties victi atque fugati
 petierunt ac inierunt tandem, intercedentibus
 multarum ciuitatum Imperialium Oratoribus,
 concordia cum Catholicis Quinque Cætonibus
 Turicenses quidē Die xvi. Nouēbris. Bernenses
 vero Die XXIII. eiusdē mensis. Operę preciiū
 ergo fuerit, recitare primi articuli verba. ex Teu-
 thonica cōcordię formula, quę de fide (propter
 quā præcipua discordia & belli occasio erat)
 per arbitros cōcepta fuit. Primū igitur debem⁹
 ac volum⁹ nos Turicēses nostros fideles cōfæde-
 ratos de Quinq; Cætonib⁹ similiter & dilectos eo-
 rū cōciues ac prouiciales de Vuallis, atq; omnes
 eorum adhæsores, siue Ecclesiastici sint siue sæ-
 culares,

1. Macha 3.

*post prælia
pax & con-
cordia facta
est.*

culares, circa veram, indubitam, Catholicam
 fidem suam, nunc & deinceps in suis propriis
 ciuitatibus, territoriis, praefecturis & domi-
 niis, absque redargutione ac disputatione, quo-
 tos dimittere: Cunctis malis adinventionibus
 exceptionibus, circumventionibus dolisque
 tatis atque remotis. E conuerso debemus nos
 que Cantones nostros confederatos Turci-
 ses, ac proprios eorum adhaesores circa
 eorum quietos dimittere. Atque eadem huius
 borum forma circa primum concordie articu-
 lum, cum Bernensibus quoque est oblectanda.
 De qua sane merito gaudent, & Quinque Can-
 tonibus illis congratulantur omnes per orbem
 terrarum Catholici, quod non dubitarunt pro
 fide Catholica viriliter asserenda, sua corpora,
 suas vxores, liberosque ac totam patriam in
 vicinum exponere discrimen. Vnde Ecdes.
 pro ea pietate gloriosos eis retribuit de hereticis
 triumphos, vt cogerentur ipsimet fateri, anti-
 quam Quinque Cantonum fidem esse veram &
 que indubitam. Merentur & aliam laudem
 que Cantones illi, quam nulla posteritas retice-
 re debet, quod eorum strenuitate & opera subli-
 ti sunt de medio duo acerrimi deterrimique ho-
 stes Ecclesiae, Ulricus Zuinglius, & Ioannes O-
 colampadius, Quorum prior in primo statim
 praelio cecidit & exultus est: Posterior vero non
 longe post tanto mœrore animi confectus est
 Basileae, vt scortum suum (quod ipse Monachus
 postata pro vxore habebat) inuenerit eum
 mortuum.

*Laus
 Quinque
 Cantonum:*

*Duo ter-
 rimi hostes
 Ecclesiae sub-
 lati.*

meritum in lecto suo. De quorum interitu,
 te rescripsit ad Joannem Cochläum ex An-
 glicis Clarissimus vir Thomas Morus, supre-
 mus Regni Cancellarius. Postquam Geor-
 gius in Angliam rediit, complures diuersis tem-
 poribus epistolas abs te accepi. Postrema ea
 fuit, quam de Zuinglio & Oecolampadio scri-
 ptam misisti: Quorum nunciata mors lætitiã
 mihi attulit. Quanquam enim dolendi causas
 reliquere nobis heu nimium graues, propter
 multa, quæ neque sine horrore eloqui possum,
 & nemini sunt ignota: neque audire homines
 pii sine profundo gemitu debent. Sublatos tam-
 en è medio esse tam immanes fidei Christia-
 næ hostes, tam accinctos ad Ecclesiæ excidium,
 tam intentos vbique in omnem perimendã
 pietatis occasionem, iure gaudere possumus.

*Acta & scripta Lutheri,
 Anno Domini
 M. D. XXXII.*

Erat, vt eiusmodi motus conspiratio-
 nesque & discordias Sectarum in Ger-
 mania, incruentis consiliis reprimeret
 atque compesceret: indicebat Dietam (vt vo-
 cant) Imperialem, Spiræ celebrandã. Verum
 vbi intellexit maximum Turcarum apparatus
 & exercitum appropinquare, ad inuadendam
 Vngariam atque Germaniam, transtulit eam

Ee

*Thomas Mo-
 rus, qui postea
 propter veri-
 tatem marty-
 rium suscepit,
 anno 1535.
 Sicut & Episcopus
 Rofensis.*

*Dietã Impe-
 rialis Rati-
 spona cele-
 bratã.*